Digitized by Google

PARERGON
AD EXAMEN
LIBRI PONTIFICALIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

1

PARERGON
AD EXAMEN
LIBRI PONTIFICALIS,
SIVE EPISTOLA
PII II. AD CAROLVM VII.
REGEM FRANCIÆ

Ab Hæreticis deprauata, & à Launoiana calumnia vindicata.

CVRA, ET STVDIO

IOANNIS CIAMPINI ROMANI

MAGISTRI BREVIVM GRATIAE,

Necnon Maioris Præſidentiæ Abbreuiatoris,

AC IN VTRAQVE

SIGNATVRA REFERENDARII.

ROMÆ,

Ex Typographia Ioannis Iacobi Komarek. M DC LXXXVIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISS. ET REVERENDISS. D.

HIERONYMO

CASANATA

S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI

AMPLISSIMO.

SALVBRITER; ſapientiſſimèque Romani Pontifices etiam in primis Eccleſiæ ſæculis inſtituerunt, vt critico quodam cribro, atque operoſo delectu ex omnige-

Digitized by Google

nigena ampliſſimaque Librorum congerie mali à bonis, veluti infelix lolium â tritico ſecernerentur: nè ſcilicet hominum imperitorum manibus promiſcuè reuoluti maxima cum animarum pernicie faciles, & in uetitum pronas mentes inficerent. Mos autem iſte, ſi vnquam, noſtris certè diebus potiſſimum viget, cum Sacri Indicis Congregatio omni operâ ſtudioque laboret, vt omnes libri, qui vel Catholicæ Fidei ſinceritati, vel bonis moribus poſſint officere; non ſecùs ac peſtes ſecernat, ac damnet. Alios inter, quos ætas hæc noſtra malarum ſegetum haud ſterilis edidit, ſanctiſſimaque ſacræ Congregationis cenſura damnauit, Ioannis Launoij Epiſtolæ recenſitæ fuerunt, ex cauſis, quæ nulli magìs quàm Tibi notæ eſſe debent, quem vnà cum alijs ad hoc delectis Eminentiſſimis Cardinalibus peculiaris Pontificis prouidentia digniſſimè eidem Congregationi præfecit, Iudicemque conſtituit. Cùm igitur in hac mea diſſertatiuncula Epiſtolæ Pij II. ad Carolum

VII.

Digitized by Google

VII. particulam à Láunoio quàm ſæpiſſimè, & penè ad nauſeam repetitam ab eius Viri calumnijs vindicare tentauerim, meas haſce Lucubrationes Tibi præcipuè dicandas exiſtimaui, cùm in his de Romani Pontificis, atque Apoſtolicæ ſedis honore tuendo aſſerendoque vnicè agatur, cuius Tu inter Eminentiſſimos Viros præcipuus es, acerrimuſque defenſor, ac propugnator. Accipe igitur, oro, labores meos, quo ſoles vultu hilari, ac renidenti, atque hunc, quem offero, floſculum gratum habe, qui è meo cæteroqui inamœno, immò, vt verum fatear, ex amœniſſimo tuo Literarum Viridario collectus eſt, ex ampliſſima ſcilicet atque auguſta Tua Bibliotheca: cùm mihi plurimos ac ſingularis notæ Codices quàm humaniſſimè ſæpiùs arbitrio meo tam in præſenti, quàm in alijs texendis operibus commodaueris, vnde mirum eſt quantum lucis atque ornamenti ijſdem acceſſerit. Gratum inquam habe hoc quidquid ſit, mei certè beneficiorum memoris ani-

mi teſtimonium , ita enim operoſiùs ad alia fortè ſuauiora ſerenda, colligendaque in dies enitar. Vale Princeps Eminentiſſime.

Humill. Deuotiſs. & Addictiſs. Seruus
Ioannes Ciampinus.

PA-

Digitized by Google

PARERGON
AD EXAMEN
LIBRI PONTIFICALIS
SIVE

Diſquiſitio Vocis τὸ Doctoribus, *ſeu* Detractoribus, *quæ in Epiſtola Pij II. ad Carolum VII. Regem Franciæ expreſſa eſt, quo ſenſu legenda ſit, cùm illam ab Hæreticis deprauatam fuiſſe ex facto oſtendatur; Propterea priſtino, & genuino ſenſui reſtituitur.*

SI huius ſæculi genio eruditionum feracis indulgere velimus, vtique in cenſuris ferendis nos detinere debemus. Prolixam igitur, rigidamque cenſuram de Codice Vitarum Romanorum Pontificum, qui ſub Anaſtaſij Bibliothecarij nomine circumfertur, nuper in lucem emiſimus, ac ſingulas Vitas ſingulis ſuis Auctoribus reſtituere tentauimus. Non incongruum propterea fuerit, ſi animaduerſionem per nos factam ſuper vo-

Digitized by Google

cem τὸ *Doctoribus* ſiue *Detractoribus* in Fpiſtola Pij II. ad Carolum VII. Regem Franciæ expreſſam, quomodo ipſa vox legenda ac intelligenda ſit, hic apponamus, & hanc Diſquiſitionem tanquam *Parergon* adijciamus.

Ioannes Launoius in hoc ſæculo Reipublicæ, Literariæ, & præſertim Eccleſiaſticarum Rerum ſtudioſis, ſat notus, in Auctoritatem Romani Pontificis, ac honorem, Dignitatemque Romanæ, Curiæ carpendam admodùm pronus, ſuum in eandem Curiam ſtylum ex hac voce conatur acuere, vt infra oſtendemus.

Anno præterito cùm ego ſecundum Epiſtolarum Tomum attentiùs perlegerem, & obſeruarem, ſi quid in eis contra Sacram Scripturam, Catholica dogmata, ac bonos mores reperirem; Inter alia, quæ non leui cenſura digna exiſtimaui, quædam declamatio fuit, bis in prima, bis in ſecunda, terque in quinta Epiſtola repetita; quibus in locis quandam particulam refert Epiſtolæ Pij II. ad Carolum VII. Regem Franciæ, quam ita ſe habere affirmat: *Vnum à te petimus, vt Doctoribus Sedis Apoſtolicæ ſemper non credas, ſed multa illorum paſſionibus tribuas.*

Hæc ego legens acquieſcere neutiquam potui; cùm ea mihi prorsùs à tanto Pontifice aliena viderentur: quapropter Vaticanam Bibliothecam adiui,

adiui, genuinum ipſius Pontificis exemplar inter Codices M S. diligentiſſimè inquiſiturus. Verùm licèt nonnullos Codices eiuſdem Pij II. Epiſtolas continentes inuenerim, illum, quo mihi opus erat, haud vſquam reperi. Hinc ad impreſſos Codices inquirendos animum vertens, duas tunc inueni eiuſdem Codicis impreſſiones, ambas Baſileæ.

Priorem quidem An. 1551. Secundam verò An. 1571. quarum temporis intercapedo eſt tantummodo 20. Annorum. In prima Epiſtola iuxta germanum ſenſum, legitur *Detractoribus*, in Secunda verò *Doctoribus*, vt Launoius expreſſit. Memor autem ego querimoniæ Sanctiſſimi Pontificis Leonis Magni in Epiſtola quam ſcripſit ad Martianum Auguſtum in Ordine 104. apud Queſnel vbi ſic: *Quia verò quorundam Hæreticorum verſuta nequitia ad conturbandam aliorum ſimplicitatem, Epiſtolam meam, quam ad beatæ memoriæ Flauianum dedi, falsâſſe perhibetur, vt commutatis quibuſdam literis vel ſyllabis receptorem me Neſtoriani erroris aſſereret.*

Propterea huiuſmodi vocis correctioni, ſeu potiùs immutationi cauſam dediſſe Lutheranam hæreſim putaui. Nam quando ipſa adhuc in cunis vagiebat, intemerata, genuinaque Codicis M S. verba Typus fidelis edidit, adultâ verò confirmatâque iam Hæreſi, eius Aſſeclæ, Propugnatoreſque, Codices

alterando, modum excogitârunt, quo veritatis lucem obtegerent, & plurimum Sedis Apoſtolicæ Miniſtrorumque eius integritati, ac fidei derogarent: deinde ijs animaduerſionibus non contentus, è celebri Bibliotheca Eminentiſſimi Cardinalis Caſanatæ quintam eiuſdem Launoij Epiſtolarum partem vix expetitam accepi, cùm idem Eminentiſſimus Viris, qui ſtudia ſectantur, indulgentiſſimus ſit, vt ipſe ſæpè aliàs expertus ſum, proptereaque, quod Eminentiæ ſuæ debere me fateor, plurimum eſt. In capite igitur XVI. Epiſtolæ ad Thomam Fortiuum pag. 122. Launoius repellere conatur animaduerſionem, quam fecit Fr. Vincentius Baro Ordinis Prædicatorum in hac calumnia ſæpè citatæ Epiſtolæ contra Sedem Apoſtolicam, eidemque Baroni ita reſpondit. (Ne mirêre hìc Lector, ſi Baronianam Apologiam adeo prolixam refero, id enim pro illius examine requiritur, & forſitan in tui maiorem commoditatem tendit, quia Launoij Epiſtolæ non tam de facili per omnium manus circumferuntur) Baro igitur, inquit Launoius, calumniam hanc impingit mihi duobus in locis, & primùm quidem in eodem Paragrapho VIII. Tacere non poſſum, quod eiuſdem Epiſtola habet plagium Epiſtolæ Pij II. ad Carolum VII. Regem Galliæ, qua ſic eum monet: *Vnum à te petimus Chariſſime Fili,*

vt

vt Detractoribus Sedis Apoſtolicæ ſemper non credas, multa illorum paſſionibus tribuas. At Launoius ex craſſa inſcitia, vel ex cæca ad detrahendum libidine locum corrupit, & interpolauit, voci *Detractorum*, ſuffecto *Doctorum* vocabulo. Deinde in §. XI. Dico me non mirari Epiſtolæ VII. pagina 23. interpolata Pij II. ad Carolum VII. Epiſtolæ verba, & loco *Detractorum* Sedis Apoſtolicæ, vt mens Auctoris, & genuina lectio habet, ab Aduerſario ſuffectum. τὸ *Doctoribus* Vocabulum.

Hæc autem geminata calumnia diluitur ex Pij II. Operibus, quæ Baſileæ prodierunt apud Henricum Petrum An. MDCLXXI. In huius enim editionibus Epiſtola CCCLXXIV. ad Carolum VII. Regem Galliæ, verba ſunt ipſamet, quæ ſinè corruptione, & interpolatione vlla laudaui: *Vnum à te petimus Chariſſime Fili, vt* Doctoribus *Sedis Apoſtolicæ ſemper non credas, multa illorum paſſionibus tribuas*. Tunc editionem hanc, quæ ex officina Henrici-Petrina prodierat, conferre non curaui cum editionibus primis, in quibus legitur *Detractoribus*, non *Doctoribus*. Et primùm quidem me ab hoc labore deterruit inſcriptio hæc: *Aeneæ Syluij, ſeu Pij II. opera, quæ extant, omnia, nunc demùm poſt corruptiſſimas editiones, ſummâ deligentiâ caſtigata, & in vnum corpus redacta*. Accedit Marci Hopperi præfatio, quæ inſcriptio-

ptioni fidem ꝛcit certiſſimam: enumeratis enim ſingillatim Pij Libris ſubijcitur: *Hi ergò libri ſunt, ex quibus volumen hoc compoſitum eſt, digni omnes qui in manus Studioſorum veniant: In quibus conquirendis, vt bonoris ergò eos nominem, ſuam quoquè operam nobis præſtitêre eximij Viri D. Bonifacius Amorbachius Iuris vtriuſque Doctor, Vrbis noſtræ Syndicus, & Academiæ tum temporis M. Rector, D. Ioannes Spyractes Iuris vtriuſque Licentiatus, Ordinarius apud nos legum profeſſor, affinis noſter Chariſſimus, nec non D. Conradus Lycoſthenes Rubeaquenſis liberalium Artium Magiſter, qui ſententias quoque, quarum hìc Auctor refertiſſimus eſt, à ſe inter legendum obſeruatas, vt fuit Vir diligentiſſimus, ac verè ſtudioſus, nobis communicauit: quarum farraginem adiectam hìc vides:*

Ex his autem omnibus luculenter apparet operum Pij II. editionem, quâ vſus ſum, cæterarum omnium quæ præceſſerant, emendatiſſimam eſſe. Vnius inſtar ſunt editiones cæteræ, quæ præceſſerant. Non omnes ſunt ſimiles primæ, nec vlla in ijs interuenit correctio, vt mutua omnium demonſtrat contentio, & ſic de numero priorum editionum ius ſupra Henrici-Petrinam editionem nullum acquiritur. Itaque Henrici-Petrina editio primæ anteponitur, quia prima incorrecta eſt, poſtrema, quæ eſt Henrici-Petrina, correctior.

Dein-

Digitized by Google

Deinde ſi Henrici-Petrinam editionem contuliſſem cum prioribus, quæ corruptiſſimæ ſunt, feciſſem imprudentiùs, ſi editiones primas Henrici-Petrinæ prætuliſſem. Quis vnquam vidit ſapientes atque eruditos homines, qui correctiorem libri alicuius editionem inconſideratè neglexerint, vt incorrectam ſequerentur? Hic eſt ſcopulus, in quem falſi nominis Criticorum iurgia & contentiones impingunt, & ita pereunt, vt ſæuitiæ veſtigium relinquant nullum.

Cæterum operæ pretium eſt hìc animaduertere, quid Vir Literatiſſimus & acerrimi Iudicij de primis librorum editionibus ſcripſit in opere, quod inſcribitur: *Marini Statilei reſponſio ad diſſertationes de Traguriensi Petronij fragmento*: Enimuerò ſi iſta obiectio valet, vix vllum erit vetuſti auctoris ſcriptum, quod non impoſturæ ſuſpectum eſſe debeat. Cuius enim Scriptoris non primæ editiones mendis propè infinitis ſcatent? Varronis fragmentum de Lingua Latina, prout eſt editum ab Antonio Auguſtino, conſideret, & pudebit eum ſuæ iſtius obiectionis. Multò enim plura ibi verborum portenta reperiet, quàm in hoc Petronij fragmento. Quid alia referam veterum Auctorum monumenta, Plauti, Catulli, Propertij, Plinij, quàm fœdis vbique maculis contaminata eſſent, prius quàm in doctorum hominum manus venirent?

Tum

Tum demùm rei in Epiſtola tractatæ ſeries Henrici-Petrinæ editionis lectionem exigere probabiliùs videtur. Referenda eſt Epiſtola, quò Lectionis bonitas attendatur faciliùs.

Pius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, Chariſſimo in Chriſto Filio Carolo Regi Franciæ Illuſtri ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Quæ ad Nos de conditionibus Tornacenſis Ciuitatis tua Serenitas ſcripſit, non diffitemur ita eſſe, vt ſcribis. Abundans enim multitudo populi eſt in Regni tui confinibus, & quæ manſit in tua & progenitorum omnium ſæculis multis, præbetque tibi opportunitate loci commoda permulta, & magna. Quod verò adiungis, Eccleſiam ipſam promiſſam tibi in perſonam Cardinalis Conſtantienſis fuiſſe, in eo vel tua Maieſtas informata verè non erat, vel qui de ea Nos compellârunt, reſponſa noſtra interpretati benè non ſunt. Viuentium beneficia cuiquam promittere mos noſter non eſt, nec fuiſſe in hunc diem adiutore Deo meminimus. Recordamur Oratoribus dixiſſe, cùm vacare illam contingeret, rem facturos, de qua contentari meritò poſſes. Daturos autem, cui velles illam Eccleſiam, nec diximus vnquam, nec cogitauimus. Adueniente tamen obitu tranſlati Epiſcopi, facere Maieſtati tuæ rem gratam in animo geſſimus. Per obitum non vacauit, Senex Grandæuus incommo-

da

da multa perferre in ea Ciuitate non valens, precatus eſt illuc robuſtiorem transferri. Fuit iuſta & pia eius petitio. Raræ vel nullæ Supplicationes huiuſmodi à Sede Apoſtolica ſolent repelli. Si doles hominem Duci Burgundiæ ſubditum illuc eſſe præpoſitum, minor culpa hæc noſtra eſt, quàm fuerit prædeceſſorum noſtrorum, qui plures Burgundos illic ſtatuerunt. Nos rem nouam non fecimus, veterem, & vſitatam ſumus ſecuti. Hoc quoque ad transferendum Tullenſem proniores nos facit, quod ſicut Serenitas tua intelligit, Tornacenſis Diœceſis ſub Dominatu eſt Burgundorum, nec putamus videri inconueniens poſſe, ſi ex Dominio illo daretur Epiſcopus, infra cuius Limites maior eſt & amplior iuriſdictionis illius pars. Nam quod tua Serenitas queritur, & his & alijs rebus ſecernere commoda Regni tui & Conſanguineorum tuorum, nobis parum cordi eſſe, in hoc credimus euenire tibi, quod nobis. Vt enim tu complaceri tibi à nobis ſæpè non putas: ſic nos ſæpè exaudiri à te vota noſtra non cernimus. Non tamen propterea de tua in nos voluntate ſiniſtrum aliquid credimus, cogitamus ſemper cauſas tibi aliquas eſſe, propter quas non fortaſſe poſſes, quæ volumus. Accuſamus neceſſitatem, mente & animo æquiſſimi ſumus. Par officium à te requirimus Chariſſime Fili, nec vellemus quoties

tibi obtemperatum non eſt, toties de animo noſtro iudicium faceres. Meminimus in gratiam tuam multa feciſſe, honore tuo multa multis dediſſe. Si ſemper non dedimus, non ſemper eſſe Apoſtolica Sedes poteſt vt vult. Multa illam circumſpicere oportet, multa metiri: Ita ſemper actiones ſuas dirigere, vt reddere illarum rationem Deo & hominibus poſſit. Poſtremò quod nobis denuncias, te permiſſurum non eſſe, vt idem Tullenſis Tornacenſi Eccleſiæ præſit, nihil in hoc aliud reſpondemus; niſi Maieſtatem tuam ſanè intelligere quod Regem Catolicum deceat, & nos conſtanter ſperare te, ſi factum noſtrum diligentiùs conſiderare volueris, nihil diſſimile à claris progenitoribus tuis eſſe facturum, quos non minus veneratio in Eccleſiam Dei, & obedientia in Sanctam Sedem Apoſtolicam, quam cætera glorioſa facta, illuſtrârunt. Ipſam autem tranſlationem, cùm facta ſolemniter ſic, mutare ſinè reprehenſione non poſſumus. *Vnum à te petimus Chariſſime Fili, vt Doctoribus Sedis Apoſtolicæ ſemper non credas, multa illorum paſſionibus tribuas*: Pro certo habeas nos Serenitatem tuam amare, illi cum poſſimus, obſequi cupere, nec prætermiſſuros vnquam occaſionem aliquam eſſe in qua tuæ Bonitati placere cum Deo poſſemus. Quod ſi in aliquo præiudicatum tuis Iuribus putas, parati ſumus tuæ Celſitudi-

tudini iuſtitiam cum omni benignitate adminiſtrare. Datum Romæ IX. Decembris. Anno LX. Pontificatûs noſtri anno tertio.

Cogitanti ſæpè, & Pontificiæ Epiſtolæ, quâ reſpondetur Regi, conteſtum perpendenti, facilè venit in mentem, *Doctores*, qui tunc Sedis Apoſtolicæ conſultationibus intererant, Cardinali Conſtantienſi potiùs, quàm Tullenſi Epiſcopo fauiſſe. Duplex poterat eſſe cauſa: Primùm, quòd Conſtantienſis Cardinalis ad Sedem pertinebat Apoſtolicam, Tullenſis Epiſcopus non pertinebat; & ob id Cardinalis gratificatione viſus dignior, quàm Epiſcopus; Deinde quòd Rex Carolus præſeferebat promiſſum id ſibi eſſe, quod Pius ſolerti quadam ſcribendi ratione promiſſum eſſe diffitetur. Exinde Sedis Apoſtolicæ Doctores, vt Cardinali res ex animo ſuccederet, & Pontificis voluntas inclinaretur, & à propoſito retraheretur, Regem vel monuerant, vel monendum eſſe cenſuerant eum poſſe meritò impedire, quominus Tullenſis Epiſcopus, ſi Tornacenſem in Eccleſiam transferretur, Dominio ſuo frueretur. Pontifex conſilium hoc Regis poſtquam ſtuduit verbis remouere blandioribus, & rationum momentis plauſibilioribus, in illorum complementum adijcit: *Vnum à te petimus Chariſſime Fili, vt Doctoribus Sedis Apoſtolicæ ſemper non credas, multa illorum*

 paſ-

paſſionibus tribuas. Quia ſcilicet Sedis Apoſtolicæ Doctores, qui rem planè nouerant, à partibus Regis Caroli & Conſtantienſis Cardinalis ſteterant, non à partibus Tullenſis. Optabat contra Pius, vt illis fides non haberetur. ſed quidquid egerant in hoc negotio, humanis affectibus tribueretur: atque ita hac in re locus nullus dandus eſt priori Lectioni huic: *Vnum à te petimus Chariſſimè Fili, vt Detractoribus Sedis Apoſtolicæ ſemper non credas, multa illorum paſſionibus tribuas*. Quo circa lectio hæc prior probè correcta eſt in editione quæ Baſileæ anno MDLXXI. ex Officina Henrici-Petrina prodijt.

Deinde, quis ſciens, & prudens Pontifici ſententioſum & argutum dicendi, & ſcribendi genus ſortito, propoſitionem tribueret, quæ ſenſum incongruentem importat? nempe *Detractoribus* aliquando credi poſſe, ſi *Detractoribus* ſemper non credatur: poſſe quoque *Detractorum* paſſionibus nihil tribui, ſi multa tantum, & non omnia *Detractorum* paſſionibus tribuantur. Spiſſi & non neceſſarij laboris foret ad formales argutias confugere, vt inculta & abſurda per ſeſe Pio vindicetur propoſitio. Hæc obſeruatio apud cordatos & literatè peritos homines, lectionis prioris correctionem exigeret, tametſi Viri graues & docti, à quibus Henrici-Petrina curata eſt editio, manuſcripta

non

non conſuluiſſent exemplaria, quæ illos conſuluiſſe par eſt credere.

Tum quid profuiſſet mihi Epiſtolam Pij corrumpere vel interpolare: nimirùm id mali genus committere, quod ab omnibus facilè deprehenderetur, & me culpæ, quam & ſummopere, & ſemper odi, reum ageret, & in certiſſimam ſublestæ fidei vituperationem adduceret? Taceo illud & cum literis nonnihil habente commercij prorſus indignum eſſe. Sed Frater Baro impingendæ mihi quomodocunque calumniæ auidus, & qui cum ipſo conſpirârunt, huc animum aduertere vel noluerunt, vel, quæ mentis cæcitas, feſtinatio, vehementia, & immaturitas fuit, non quiuerunt.

Denique gratuitò ſibi perſuadebit nemo, noluiſſe Pontificem id de Sedis Apoſtolicæ *Doctoribus* ſcribere, quod ab eo incaſtigatiori operum lectione legitur. Cur non ſcripſiſſet, ſi verè ſcribi potuit? fortaſſe, inquies, maiorem *Doctorum* illorum curam habuit, quàm vt aliquid tale de illis ſcriberet? An maiorem quæſo te famæ *Doctorum* Sedis Apoſtolicæ curam habuit, quam Sacri Collegij? paruipendebat Collegium & illud parui pendiſſe Iacobus Card. Papienſis teſtatur in Epiſtola CLXXXI. ad Paulum II. Nobis verò, ait, quem eſſe animum credis; videntibus noſtræ dignitati illu-

illudi: Hocce erat, quod repromittebas de te, quum Pontificatum quærebas, quum te inſinuabas nobis, quum dolebas Nicolaum, Calliſtum, Pium paruipendiſſe Collegium noſtrum.

His ita conſtitutis primùm Frater Baro indementioris manus & ſtyli Vir, perſpectæ, atque exploratæ calumniæ conuincitur, quum ſcribit me Pij II. Epiſtolam corrupiſſe, & interpolâſſe, atque vocem *Doctoribus*, in locum *Detractoribus* ſuffeciſſe. Hoc autem cùm ita ſit, duabus Baronis Philippicis quid fiet? Philippicæ noſtræ, (inquiet Frater, ſempiterni odij prouidus) niſi remanere potuerint ad vulnus aduerſarij, remanebunt ad cicatricem, non valebunt quidem ad aſſerendam veritatem, ſed valebunt ad corroborandam infamiæ notam, quæ inuretur aduerſario, & illius ſcriptis fidem detrahet.

Deinde eiuſdem criminis ſunt rei homines illi, à quibus accepiſſe ſe dicit, quod hac de re ſcripſit, niſi fortaſſe ſcribendo quod ſcripſit, alijs imponat & mentitus ſit: Negotium eſt, quod inter Baronem & Auctores, ſeu Relatores ſuos tranſigi debet.

Tum relatio quæ fictis fabulis adſcribenda eſt, calumniarum & mendaciorum Baronis numerum auget.

Præterea Baro ex affectata vel malitia, vel igno-

ran-

Digitized by Google

rantia calumniari me ſemel atque iterum voluit, cùm in quibuſdam meis Epiſtolis, & maximè eâ, quam ad Tomam Rullandum Pariſienſem Theologum, menſibus abhinc quindecim exaraui: Laudatis tribus Pij II. Epiſtolis ſubiunxi: Hæc ex Baſileenſi editione anni MDLXXI. quam vt correctiorem & hìc ſequor, & in alijs meis Epiſtolis ſecutus ſum. Tertullianus in Libri de velandis Virginibus Cap. I. cæterum ſuo vitio quis quid ignorat? fuit tam requirendum, quam recipiendum, quod ignoſcitur.

Denique vt mea in citandis Auctoribus liberetur fides, per Summam Dei gratiam, non indigeo Baronis loco communi, quem tamen ſupra Cap. X. in bono lumine collocaui. Hæc Launoius.

Integram eiuſdem Apologiam referre duxi, vt ex illius lectione faciliùs appareat, quàm plena ſit Sophiſmatibus, quæ ipſi mox monſtrabimus. Pro baſi igitur ac ſtabili fundamento eorum, quæ hac de re ſumus dicturi, vltra ſupra relatas duas Baſileenſes editiones, Vnam de anno 1551. & alteram de anno 1571. alias duas proferimus, vnam Norimbergenſem de anno 1496. impenſis Antonij Koberger, quam in meo Librorum cimelio aſſeruo: alteram Lugduni per Ioannem Molin., aliàs de Cambray de anno 1518. quæ cuſtoditur in Bibliotheca Angelica, vulgò dictâ Sancti Augusti-

guſtini, in quibus omnibus expreſsè legitur vox *Detractoribus*. Quare ex his tribus impreſſionibus clarè euincitur contra Launoium exemplar anni 1571. ab Hæreticis corruptum fuiſſe, vt infra oſtendemus. Modò verò ad examen, ſiue trutinam Launoianæ Apologiæ properemus.

Primò igitur Launoius pro ſua tuenda ſententia demonſtrat præfatam editionem in officina Henrici-Petrina quibuſuis prioribus anteponendam eſſe, vtpote correctiorem, cùm ex præfatione Marci Hopperi deducatur tres inſignes Viros in illius editione correctioni operam dediſſe: atque adeò hâc ille tanquam omnium emendatiſſimâ vſus fuit.

At hanc Launoij aſſertionem parum valido argumento inniti, clariſſimè apparet. Quoniam Correctores poſſunt quidem ſphalmata, erroreſque corrigere, qui ſolent in qualibet impreſſione obrepere, literas nempe, quæ verba vitiant, reſtituere: non poſſunt tamen propriâ Auctoritate ipſas voces mutare, ita vt alia omninò diuerſa ſignificatio reddatur; quod huic Epiſtolæ accidit, cùm in ea loco *Detractoribus* hi tam à Launoio laudati Correctores *Doctoribus* appoſuerint. Quæ inter verba quàm graue diſcrimen ſit, quantùm inuicem pugnent, quis eſt, qui non videat?

Porrò ſi in hac voce *Detractoribus* quid erratum prætendebatur, erat quidem ad MM SS. Codices,

dices, vel ad ſenſum totius Epiſtolæ recurrendum, quod autem in huiuſmodi correctione MM SS. Codicibus Correctores vſi fuerint, nuſquam apparet: neque ij Epiſtolæ ſenſui animum applicuerunt, ſed illam ſolummodo corrumpendi modum indagauêre.

Ne verò id nos temerè ſuſpicari, ac falsò aſſerere aliquibus videamur, ſatis fore actum arbitror, ſi, qui fuerint hi Correctores, in medium proferam. Ab vno igitur, qui inter nos vltimus eſt, diſce omnes. Porrò iſte Conradus Rubeaquenſis eſt, qui & Lycoſthenes in Græca alluſione dici ſe voluit, Theobaldi Vſtolfardi, Ruberti Sutoris filius nî tamen fallor. Hic talis tantuſque Apoſtolicæ Sedis hoſtis fuit, vt eius opera in primis damnata ſint, atque ipſe inter Auctores prohibitos primæ claſſis reiectus. Quare iudicio meo, multum ad dubitandum non eſt, an iſti Codices deprauare potuerit, in his præcipuè, quæ Apoſtolicam Sedem reſpiciunt. Id verò vtique Launoius ipſe cognôſſet, tantiſque in huiuſcemodi hominibus efferendis laudum præconijs temperâſſet, ſi vti nomine, ita re ipsâ Catholicus extitiſſet. Ita etiam ſi de irrepto errore, & anterioribus editionibus fuiſſet aliquid ſuſpicatus, facillimum ei fuerat ad Bibliothecam Regiam recurrere, in qua exemplar Epiſtolæ forſitan inueniſſet, vel ad ipſum Archi-

num Regium, in quo adhuc hodie Epiſtolæ prototypum aſſeruari credibile eſt.

Poſtquam verò Launoius prædictæ Epiſtolæ tenorem retulit, ſibi in mentem veniſſe ſubdit, Doctores in ea expreſſos illos fuiſſe, qui conſultationibus Sedis Apoſtolicæ tunc intererant, ideoque Cardinali Conſtantienſi potiùs, quàm Tullenſi Epiſcopo fauiſſe. Idque duplici ex cauſa: Primò, quòd Cardinalis Conſtantienſis ad Sedem Apoſtolicam pertinebat, atque ideo Cardinalis gratificatione viſus dignior, quàm Epiſcopus.

Secundò, quòd Rex Carolus id ſibi promiſſum fuiſſe aſſerebat, quod à Pio Pontifice negabatur. Quapropter Doctores Apoſtolicæ Sedis in Regem propenſi, ipſum monuerant, docuerantque Iure optimo Tullenſem Epiſcopum ad Tornacenſem Eccleſiam, vt transferretur, ab ipſo impediri, quominùs Dominio ſui Epiſcopatûs frueretur. Propterea Pontificem ſcripſiſſe ait: *Vnum à te petimus Chariſſime Fili, vt* Doctoribus *Sedis Apoſtolicæ ſemper non credas, multa illorum paſſionibus tribuas*. Quibus idem Launoius ſubdit: *Optabat Pius, vt eiſdem Doctoribus, qui rem planè nouerant, & à partibus Regis Caroli, & Conſtantienſis Cardinalis ſteterant, fides non haberetur, ſed quidquid egerant in hoc negotio humanis affectibus tribueretur*. Et hanc eſſe genuinam lectionem contendit,

dit. Hoc autem argumentum, ſeu potiùs ſophiſma, quàm à veritate diſſonum ſit, ex alia eiuſdem Pij ad ipſum Carolum Epiſtola, quæ in ordine eſt. 389. manifeſtum eſt. Quâ quidem Epiſtolâ liquidò euincitur neutiquam credendum eſſe Pium Pontificem, dum ſcripſit *Detractoribus*, de ſuis intelligere voluiſſe, ſed de Conſiliarijs Regijs, qui prauis ſuaſionibus conſilijſque apud ipſum Regem, Pontificem, & Sedem Apoſtolicam calumniabantur, ibi enim ſic legitur: Neque ſanè vnquam in animo Noſtro fuit quicquam agere quod tibi aut incommodum eſſet aut moleſtum: ſed aliter tibi perſuaſum eſt, vt ſcripta tua oſtendunt, tam nobis, quam Sacro Collegio noſtro directa. Ignoſcat his Diuina Bonitas qui talia ſuggerunt quorum magnum eſt peccatum: Summa iniquitas: mala mens: malus animus. Illorum eſt qui tuam Excellentiam aduerſus nos irritare, aut commouere nituntur: ſimiles illis ſunt, qui filium tuum à te alienauerunt. Illi enim Carnalem Patri filium abſtulerunt: hi nobis Spiritualem aufferre nituntur, ſed minimè obtinebunt, ſi tuam conſtantiam & moderationem retinebis: & noſtris vocibus auſcultabis, quæ non tam noſtræ ſunt, quàm Dei, & Filij eius Chriſti, cuius Vicariatum non noſtris meritis, ſed ſuâ diſpoſitione in terris gerimus.

Sanè in hac Epiſtola expreſsè Regis Conſiliarij

Digitized by Google

dignoſcuntur per illa verba: *Ignoſcat ijs Diuina Bonitas, qui talia ſuggerunt*. Et infra: *Malus animus illorum eſt, qui tuam Excellentiam aduerſus nos irritare, aut commouere nituntur*. Quum enim de proprijs Conſiliarijs Pius intelligit, longè diuerſa de ijs loquitur, vt paſſim videre eſt, præſertim verò vbi ait: Deinde cùm Viterbi eſſemus: antequam tranſlationes prædictæ effectum ſortitæ fuiſſent: nunciatus eſt nobis obitus Epiſcopi Tornacenſis, commiſimus cauſam, vt fit, vni Cardinali: & facta eſt relatio in Conſiſtorio, liberè, & grauiter omnes fratres noſtri ſententias ſuas dixêre: placuit omnibus Tullenſem Epiſcopum ad Eccleſiam ſic vacantem transferri: nihil ſinè conſilio & matura deliberatione fratrum egimus: omnia eis aperuimus: quæ vel tui, vel alij Oratores in hac cauſa expoſuerant, quanquam per ſeſe cuncta noſſent: fecimus hanc tranſlationem ſuadentibus fratribus, quorum aliqui affirmauerunt Tullenſem olim Epiſcopum tuæ Serenitati & fidelem & acceptum eſſe, ac per eius medium tibi vt Duci Burgundiæ complacitum iri. Cùmque Pater ille antiquus qui multis annis cum laude Tornacenſi adminiſtraret Eccleſiæ: in extremis vitæ ſponſæ ſuæ de hac perſona prouidendum eſſe cenſeret: non videbatur eius vel votum vel Conſilium ſpernendum: Fecimus ergo hanc prouiſionem: nec vidimus, aut Fratres no-

noſtri viderunt penſatâ loci & temporum qualitate, vtiliùs poſſe prouideri: quod ſi hæc tuæ Serenitati non placent: non eſt tamen quòd ea in tuam contumeliam facta eſſe dijudices: cùm nos te amemus, & honoratum ſemper eſſe velimus.

Quibus è verbis duo hæc apertiſſimè eliciuntur: Primò Pium Pontificem nihil vſquam ſinè conſilò, & matura deliberatione fratrum egiſſe: Secundò Papam ſuos Conſiliarios, non quidem Doctores, vt vult Launoius, ſed fratres appellare, idque ideo, quia S. R. E. Cardinales ſunt, & antiquiſſima, imò perpetua praxis ſic tenuit, & adhuc tenet.

Si quis autem pro Launoio contenderet Pontificem in huius rei conſultatione non Cardinales tantummodo, ſed etiam Doctores adhibuiſſe; reſpondeo, nè minimam quidem de iſtis in prædicta Epiſtola 389. mentionem haberi, vt infra clariùs innoteſcet, quum ipſius Epiſtolæ tenorem integrum afferemus.

Prætcrea idem Launoius ſolitis ſophiſmatibus ſic, vt ſupra etiam innuimus, arguit.

Deinde quis ſciens & prudens Pontifici ſententioſum, & argutum dicendi & ſcribendi genus ſortito propoſitionem tribueret, quæ ſenſum incongruentem importat? nempe Detractoribus aliquando credi poſſe, ſi Detractoribus ſemper non credatur:

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

datur: poſſe quoque Detractorum paſſionibus nihil tribui, ſi multa tantum, & non omnia Detractorum paſſionibus tribuantur: ſpiſi & non neceſſarij laboris foret, ad formales argutias confugere, vt inculta, & abſurda per ſeſe Pio vindicetur propoſitio. Hæc obſeruatio apud cordatos & literatè peritos homines lectionis prioris correctionem exigeret, tametſi Viri graues, à quibus Henrici-Petrina curata eſt editio, manuſcripta non conſuluiſſent exemplaria, quæ illos conſuluiſſe par eſt credere. Tota vis argumenti eſt in vocibus *ſemper non credas*, *& multa illorum paſſionibus tribuas*. Verùm & hìc germanum Epiſtolæ ſenſum more ſolito detorquere conatur. Nam omni dubitatione remotâ ſenſus eſt, quod Detractoribus Sedis Apoſtolicæ ſemper non eſt credendum, quaſi diceretur *vnquam* non eſſe credendum. Exemplo ſit, quod Caius, Titio ſciſcitanti, an in aliquo caſu aliqua res credenda eſſet? Reſpondit, quod ſemper, videlicet in omnibus caſibus, id non credat. De voce autem *multa*, ſic reſpondeo: Cùm Detractores, vt plurimùm veritatem mendacijs immiſceant, vt ipſa mendacia faciliùs perſuadeant, quæ ſic veritati coniuncta, aut nullo modo ab eâdem diſtingui, atque diſcerni, aut difficillimè poſſunt; Ideo Pius Pontifex dicit *multa* eorum paſſionibus eſſe tribuenda, non quidem omnia, quia omnia

non

non ſunt mendacia, ſed ipſa mendacia, quæ cum veritate commixta ſunt. Poſſet etiam pro allatorum reſponſione addi, quod ipſemet Pontifex has dictabat Epiſtolas, quare nil mirum, ſi quandoque mens eius negotiorum mole grauata, non poterat adeò exactè omnia verba, voceſque in trutinam reuocare, earumque ſenſus, ac proprietates expendere.

Demùm pro coronide ſuorum lemmatum Launoius inquirit: cur Pius Doctores Cardinalibus antepoſuerit? huic autem à ſe motæ quæſtioni confidenter reſpondet: Pontificem paruipendiſſe Collegium, pro qua reſponſione firmanda allegat Epiſtolam 181. Iacobi Cardinalis Papienſis ad Paulum II. vbi hæc habentur: *Nobis verò quem eſſe animum credis? videntibus noſtræ dignitati illudi, & vim ſimul afferri? Hoccine erat, quod repromittebas de te? Quum Pontificatum quærebas, cum te inſinuabas nobis, cùm dolebas Nicolaum, Calliſtum, & Pium paruipendiſſe collegium noſtrum?*

Huic tamen Launoianæ allegationi ſic reſponderem: Dato, & non conceſſo quod Nicolaus, Calliſtus, & Pius Collegium paruipendiſſent, querela iſta, ni fallor, in hoc verſabatur, quod ipſi Pontifices omiſſis Cardinalium votis, & Conſilijs omnia omnino ex mera voluntate, & arbitrio gerebant: Hoc tamen caſui iam relato Epiſcopi Tullen-

Digitized by Google

lenſis ad Eccleſiam Tornacenſis tranſlati applicari minimè poteſt, cùm in præcitata Epiſtola 389. expreſsè Pontifex dicat ſe nihil ea de re ſinè conſilio & matura deliberatione fratrum egiſſe, omnia eis aperuiſſe, & eorundem ſententias exquiſiuiſſe: quod ſi ita ſe habuit, vtique aliorum Doctorum conſilia non adhibuit, eorum enim mentio certiſſimè in Epiſtola facta fuiſſet. Non quidem nego quandoque Romanos Pontifices in rebus arduis Catholicæ Eccleſiæ conſilijs Doctorum vſos fuiſſe; at quando eiſdem conſilijs vſi fuere, iam antea Cardinalium ſententias exquiſierant, atque adeo Doctores his caſibus non niſi Cardinalibus adiuncti ſunt. Quod ſi in grauioribus Sedis Apoſtolicæ cauſis eorundem tantummodo Doctorum opera requiratur, hoc in præſenti caſu non vrget, cùm hæc ſimplex tranſlatio ſit, nec fidei dogma reſpiciat, ſed tantùm politiam ſtatûs; Atque ita fert Romanorum Pontificum praxis, quam ab antiquo deductam in dies continuari per multorum annorum ſpatium iam vidi.

Satìs igitur ſuperque Launoi ſophiſmatibus reſponſum exiſtimo. Clariſſimè etiam probando verſutiam ſiue artem Hæreticorum in deprauandis Codicibus, cùm inter primam, ac ſecundam impreſſionem Baſileenſem non interuenerint niſi viginti anni: & ſic primæ adhuc inter homines memoria

ria vigebat. Quare in ſecunda corrigenda; correctionis ipſius cauſam allegare neceſſe erat, nempe collationem factam cum originali, vel cum Codice manuſcripto, aut alio antecedenter correctiùs impreſſo, ſed huiuſmodi correctionis cauſa nulla reperitur, ideo vtpote arbitraria, & in odium Sedis Apoſtolicæ facta reijcienda eſt, cùm pro genuino Epiſtolæ ſenſu non ſolùm militet prima Baſileenſis impreſſio, verùm etiam duæ antecedentes ſuperiùs relatæ diuerſis temporibus ac locis factæ, nempe, vt diximus, Lugdunenſis de anno 1518. & Norimbergenſis de anno 1496. Ac addi poſſe videtur, quod cùm ars impreſſoria iam in ſua pueritia, vt ita dicam, eſſet, cuicunque libros imprimendi facultas erat, eò magis, quò magis liberæ ſunt Ciuitates, vtpote Norimbergenſis, & Baſileenſis, ac idem de Lugdunenſi quo ad impreſſionem, illo maximè æuo, dici poteſt.

Concludimus igitur de ſimilibus hominibus dicendum eſſe, quod dicit quidam Clariſſimus Vir in Literis (vtinam etiam fuiſſet in Religione) de illis qui nimiâ licentiâ abutuntur, videlicet: *Ita ſit quoties ſemel effractis repagulis, ſeſe in licentiæ campum effudit hominum temeritas, nullum facit inſaniendi finem, donec omnia ſecum inuoluat exitio.*

Vt autem cuicunque ſub oculos & in aperto eo-

D rum,

rum, quæ diximus, veritas ſit, en ſupra promiſſus Epiſtolæ 389. tenor, quæ licèt longiſſima ſit, nihilominus integram præcipuè referimus, vt indè faciliùs arguatur quænam ex his vocibus *Doctoribus* vel *Detractoribus* Epiſtolæ ipſius contextui magis congruat.

Pius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Chariſſimo in Chriſto Filio, Carolo Regi Franciæ Illuſtri, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Niſi tuâ ſignata manu, & tuo fuiſſet impreſſa ſigillo: nunquam tuam putauiſſemus Epiſtolam, quam tuo nomine Michaël Secretarius tuus nouiſſimè ad nos detulit. Multa enim continet, quæ à tua prudentia, & tuo ſcribendi more videntur aliena. Sed neque Portitor, neque Signum, neque ſubſcriptio patitur, vt tuas literas eſſe dubitemus, quæ tanquam abs te miſſæ redditæ ſunt: eas ob res cogimur reſpondere, & noſtram excuſare innocentiam. Neque enim nos ſumus, qui vel tuam Serenitatem, vel alium quempiam odio perſequamur, aut odij causâ quicquam agamus. Nos quidem tuam manſuetudinem ſemper amauimus: ſemper magnificauimus: ſemper obſeruauimus, tum propter maiorum tuorum gloriam, & magnifica geſta, tum propter modeſtiam & Religionem, quas in te ſitas didicimus. Neque ſanè vnquam in animo noſtro fuit quicquam agere, quod tibi aut incommodum

eſſet,

eſſet, aut moleſtum: ſed aliter tibi perſuaſum eſt, vt ſcripta tua oſtendunt, tam nobis, quàm Sacro Collegio noſtro directa. Ignoſcat his Diuina Bonitas, qui talia ſuggerunt, quorum magnum eſt peccatum: ſumma iniquitas: mala mens: malus animus. Illorum eſt, qui tuam Excellentiam aduerſus nos irritare, aut commouere nituntur: ſimiles illis ſunt, qui filium tuum à te alienauerunt: Illi enim carnalem Patri filium abſtulerunt: hi nobis Spiritualem auferre nituntur, ſed minimè obtinebunt, ſi tuam conſtantiam & moderationem retinebis: & noſtris vocibus auſcultabis, quæ non tam noſtræ ſunt, quàm Dei, & Filij eius Chriſti, cuius Vicariatum non noſtris meritis, ſed ſua diſpenſatione in terris gerimus. Audi ergo nos Fili & in charitate accipe, quæ ad tua ſcripta reſpondemus. Scribis de Tornacenſi Eccleſia, ad quam tranſlatum eſſe Tullenſem Epiſcopum haud æquo animo fers, putaſque tibi iniuriam factam, quòd preces tuas non exaudiuerimus, quas pro Cardinali Conſtantiæ ad nos porrexiſti: & plurima ſubiungis, quæ paulò poſt capitulatìm attingemus: ſed prius quàm hoc agimus rem geſtam accipe: ſic enim & tua,& noſtra cauſa meliùs cognoſcetur. Fuerunt Oratores tui vel bis, vel ter priùs quàm vacaret Eccleſia Tornacenſis, dixeruntque noſtrum Anteceſſorem Eccleſiam ipſam diſpoſitioni ſuæ reſer-

Digitized by Google

uâſſe. Vt contingente vacatione illi prouideret de perſona tibi accepta: petieruntque, vt nos idem efficeremus: cùm tuæ ſolennitatis plurimum intereſſet in ea Ciuitate, quæ tua eſſet, Epiſcopum præſidere tuæ Maieſtati fidum & acceptum. Idem egêre nobiſcum Ducis Burgundiæ Legati, non ſemel, ſed iterum, atque iterum dicentes: Diœceſim Tornacenſem ferè totam, & reddituum maximam partem in poteſtate ipſius Ducis conſiſtere, ad quem magnopere pertineret Epiſcopum Tornacenſem eum creari, qui ſibi amicus & charus eſſet propter magnas & opulentas Flandriæ Ciuitates vicinas Anglis: in quibus ſtatûs ſui robur continetur: adijcientes retroactis tempotibus maximè à LXX. annis citrà nunquam in ea Eccleſia præfuiſſe, qui non ex charis Ducis Burgundiæ fuiſſet, & quod vnus alter promotus ab Eugenio tandem tranſlatus extitit ad Eccleſiam Narbonenſem, cùm pace illic potiri non poſſet. Intelleximus rem vtcunque arduam atque perplexam, nec vel tuis, vel Ducis Oratoribus quicquam certi promiſimus: Sed negantes noſtri moris eſſe, pro aliquo nominatìm Eccleſiam Cathedralem reſeruare; reſpondimus, contingente vacatione nos Eccleſiæ illi ita prouiſuros, vt nulli cauſa quærelæ meritò eſſe debeat. Cùmque tui Oratores pro Conſtantienſi Cardinali reſeruari Eccleſiam peterent, Burgundi verò pro Epi-

ſcopo

ſcopo Traiectenſi, diximus apertè nulli duas Eccleſias commiſſuros prout ipſi efflagitabant. Hæc ſunt promiſſa noſtra: hæ acta vobiſcum ſunt ante vacationem: eratque noſtrum deſiderium vt nunquam hæc vacatio noſtro tempore intercideret, cùm videremus abſque turba & moleſtia huic Eccleſiæ prouideri non poſſe. Verùm nobis Senas ex Mantua reuerſis, reddita ſunt Autentica ſcripta & mandata, per quæ Tornacenſis, & Tullenſis Epiſcopi ex iuſtis cauſis deſiderabant inuicem Eccleſias ſuas deſignare, & ad alterutra tranſferri: admiſimus nos reſignationes, & tranſlationes fecimus de fratrum noſtrorum conſilio. Deinde cùm Viterbij eſſemus: antequam tranſlationes prædictæ effectum ſortitæ fuiſſent, nunciatus eſt nobis obitus Epiſcopi Turnacenſis. Commiſimus cauſam, vt fit, vni Cardinali, & facta eſt relatio in Conſiſtorio: liberè & grauiter omnes fratres noſtri ſententias ſuas dixêre: placuit omnibus Tullenſem Epiſcopum ad Eccleſiam ſic vacantem tranſferri: nihil ſinè conſilio & matura deliberatione fratrum egimus: omnia eis aperuimus, quæ vel tui, vel alij Oratores in hac cauſa expoſuerant, quanquam per ſe cuncta noſſent: fecimus hanc tranſlationem ſuadentibus fratribus, quorum aliqui affirmauerunt Tullenſem olim Epiſcopum Tuæ Serenitati, & fidelem, & acceptum eſſe; ac per eius me-

dium

dium Tibi vt Duci Burgundiæ complacitum iri. Cùmque Pater ille antiquus, qui multis annis cum laude Tornacenſi adminiſtraret Eccleſiæ, in extremis vitæ, Sponſæ ſuæ de hac perſona prouidendum eſſe cenſeret: non videbatur eius, vel votum, vel conſilium ſpernendum: Fecimus ergo hanc prouiſionem; nec vidimus, aut fratres noſtri viderunt penſatâ loci, & temporum qualitate, vtiliùs poſſe prouideri. Quòd ſi hæc tuæ Serenitati non placent, non eſt tamen quòd ea in tuam contumeliam facta eſſe dijudices: cùm nos te amemus, & honoratum ſemper eſſe velimus. Si iam ad partes tuæ Epiſtolæ reuertamur, eiſque quoad poſſumus ſatisfaciamus. Dicis in primis te nunquam ceſſaturum, quouſque tua deprecatio exaudiatur: non oportebit te diù contendere, ſi ea petieris, quæ cum honeſtate concedere valeamus. Eſt enim lucrum noſtrum, quum tibi, cæteriſque Regibus iuſta petentibus complaceamus. Dicis Te loqui de re tui Dominij: Iuris conſulti duplex Dominium tradunt, alterum directum, alterum vtile. Ciuitas, vt aiunt, vtroque iure ad te pertinet Diœceſis iuriſdictio tantùm. Nam vtile Ducis eſt quod multi pluris faciunt: nec tua Excellentia Epiſcopatibus hactenus vim fecit, qui in Ducatu Burgundiæ vacauerunt, quamuis aſſeras, & verè aſſeras Principatum illum, ſicut & Flandriam à tua Corona

rona

rona dependere. Dicis te inſtare pro Cardinali, pro perſona digna, & benemerenti. Nihil contra perſonam eius dictum eſt. Laudamus hominem, & quouis honore dignum cenſemus, cui Cardinalatûs inſignia, miſimus rubrum pileum: quamuis ægrè ferimus, ſi verum eſt quod aliqui retulêre, eum ſcilicet in tua Curia non vti Cardinalatûs inſignibus, quaſi non acciperetur cum honore decenti. Quod ſi ita eſt. Decet tuam Excellentiam, qui dicit ſe Cardinales amare, in hac re ita prouidere, nè dignitas Cardinalatûs, in tua Curia minor, vel abiectior quàm in alijs videatur. Dicis non decere Cardinalem pati repulſam, non patietur, ſi ea petierit, quæ abſque alterius iniuria cum Dei beneplacito concedi poſſunt. Dicis Eccleſiam fuiſſe reſeruatam, & rem hanc à Prædeceſſore noſtro Calliſto præconceſſam: Quum Calliſtus obijt omnia eius promiſſa interierunt; ſi vixiſſet in hanc diem tui mos geſtus eſſet, nunc de eo nihil poſſumus iudicare, ſciunt docti reſeruationes ſuas ad noſtra tempora non extendi. Dicis tuos Oratores impatienter à nobis auditos fuiſſe, & vacuos remiſſos. Si Legati noſtri ita in tua Curia benignè viderentur, & audirentur, ſicut tui in noſtra, multò frequentiùs, quàm faciant Nuncij Noſtri ad te accederent. Sed tui quoties volunt diù noctuque nos adeunt, & quæ volunt dicunt. Noſtri vix pluri-

bus

bus in menſibus tui copiam habent, nec à tuis Curialibus benignè viſuntur, quanquam tua Maieſtas in omni audientia modeſta eſt, & perhumana. Neſcimus quis ille eſt, qui ſe dicat à nobis impatienter auditum. Duo Cardinales ex tua Natione interfuerunt, quando vltimum in hac re Oratorem audiuimus, Rothomagenſis, & Auinionenſis, ipſi teſtari poſſunt, quia vſque in finem omni cum manſuetudine hominem audiuimus, quanquam reſpondendo aliqua eius verba parùm moderata reprehendimus. Remiſimus illum vacuum in petitione tua. Sed plenum in ſuis. Nam gratias quas à nobis petiuit, cunctas intuitu Serenitatis tuæ conceſſimus. Libentiùs tuas, quàm ſuas audiuiſſemus, ſed rei difficultas non patiebatur. Ille cùm ſatisfacere tibi non poſſet, ſatisfecit ſibi, & immemor acceptæ gratiæ nos criminatus eſt. Dicis neque Adrianum Caroli Magni, neque Leonem Ottonis ita interceſſiones renuiſſe, vt nos tuas repulimus, & quod nemo conſecrabatur Epiſcopus niſi laudatus & inueſtitus à tuis prædeceſſoribus. Quid feciſſent illi duo Romani Pontifices in hoc caſu neſcimus. Quid fecimus ipſi ſcimus, & facti noſtri rationem reddere poſſumus. Carolus & Otto Romani Imperatores fuere, & hoc priuilegium à Romana Sede obtinuerunt, quod refers propter ingentia merita, & quia ita tempora poſcebant

bant, & Arianorum aliorumque Hæreticorum factiones, quas Imperatoris malleo conterere oportuit. Sed cùm priuilegium vergeret ad noxiam, reuocatum eſt, & Succeſſores illorum Imperatorum illi renunciauerunt in Conuentu Vormatienſi. Nam ſicut Ezechias ſerpentem æneum à Moyſe erectum in heremo abſtulit, Idque conflauit quoniam Idololatriam inducebat; ita & priuilegia auferenda ſunt, quæ propter vtilitatem publicam conceſſa, inueniuntur eſſe damnoſa. Subiungis, quod neque Calliſtus, neque Nicolaus, neque alius ſimile aduerſus te agere attentâſſet eius quod nos fecimus: De mortuis non eſt noſtrum iudicare quid facturi fuiſſent in humanis agentes. Nos certè aduerſus te nihil ex propoſito egimus, nec tibi aduerſi ſumus, neque acta noſtra attentata dici debent, quæ fiunt in Senatu Apoſtolico, in loco quem Dominus elegit in prima mundi Sede in Beati Petri auditorio, in ipſius Saluatoris Tribunali. Videant, nè ipſi attentatores ſint, qui nobis reſiſtunt, & decreta noſtra impugnant, & Apoſtolicis aduerſantur mandatis. Dicis præter ſpem tibi eueniſſe, quod in re tam honeſta aduerſantem Romanum Pontificem &c. Vide quid dicas. Si tu id vis quod Papa non putat faciendum, non Romanus Pontifex tibi aduerſatur, ſed tu ei aduerſaris & Patri ac Magiſtro tuo contradicis, cuius

eſt de honeſtate iudicium longè magìs quam tuum. Dicis, ſi tandem ita fiet, vt cœptum eſt, Te non ab re putaturum aduerſus te conceptum odium: abſit à tua bonitate iſta hæc cogitatio, quæcunque agemus in Iuſtitiæ trutina ſuſpendemus. Et nos non vnquam aut odium aut gratia ex tramite recto deturbabit. Mitte has ſuſpiciones, neque his aures adhibeto, qui peſſimum virus tuis auribus inſtillare conantur, velis cuncta penſare, neque hominibus ſuæ rei affectatis, neque etiam tibi ipſi credito. Audi Viros Deum timentes, & an liceat Tibi iudicare Sedis Apoſtolicæ iudicia. Planè cognoſces & intelliges, nihil Nos in tuam ignominiam aut molitos eſſe, aut moliri velle. Adijcis tandem bona & digna bono Regi verba. Abſit, inquis, inter quos decreta Patrum pacem & charitatem ſeruari volunt, ſcintillam creſcere diſſidij. Idem votum nos facimus, nec noſtrâ culpâ inter Te Noſque vnquam ſuborietur diſſidium. Faxit Diuina pietas caſtam tuam & piam mentem delatores eludant, & ne Tibi falſa pro veris oſtendant. Dicis te obſequentiſſimum & obedientem Sanctæ Sedis Romanæ filium. Hinc petimus nè moleſtè pauca feras Patris verba, audies verba charitatis & fidei, neque mouearis, ſi amaritudinis aliquid habent, dulcia fient, & ſuauiſſima ſi bono corde audientur. Dicis te Filium obedientem, parce fili,

li,

Digitized by Google

li, ſi hoc parum pernegamus: Si filius obedientiæ es, cur pragmaticam ſanctionem tenes atque defendis. Eugenius te hortatus eſt, vt illam dimitteres quæ non eſt ſecundum Deum. Idem petijt Nicolaus. Idem rogauit Calliſtus, tres Romani Pontifices Sancti ac venerandi Patres monuerunt Nuntijs, & Legatis; nunc literis te rogauere, vt pragmaticam relinqueres, magni in Eccleſia diſſidij ac mali, tamen nunquam audiuiſti in hac parte vocem Eccleſiæ Romanæ. Vbi ergo tua obedientia, vbi deuotio, vbi religio? Plus Regni tui aliquibus Prælatis, quorum ratione fidei auſcultâſti, loquimur cum fiducia ſinè felle, ſinè arrogantia, amor in te noſter loqui vrget. Deus in terris per filium ſuum Ieſum Chriſtum Crucifixum Apoſtolicam Sedem erexit, & primum ac Summum Tribunal eſſe voluit; nulla poteſtas eſt, quæ huic æquari poſſit, hæc de omnibus hominibus ac dignitatibus iudicat, eam ſolus iudicat Deus. Non eſt de grege Dominico, qui Romanum Pontificem ſuum eſſe Paſtorem negat. Audi quid dicat Dominus: Qui non colligit mecum diſpergit. Certè cum Chriſto non colligit qui cum Vicario eius non ſeminat. Pragmatica Sanctio, quam tui Subditi obſeruant, non eſt ex Apoſtolico ſemine, quippe quæ neque auctoritate Apoſtolica, neque Conſilij Generalis alicuius auctoritate firmata eſt.

 Nam

Digitized by Google

Nam etſi decreta aliquorum Conciliorum in ea inſerta ſunt, & Pontificum Sanctiones, nihil tamen ita repertum eſt, vt promulgatum fuit. Sed vel additiones factæ ſunt, vel mutilationes, quod Prælatis tui Regni facere haud quaquam licuit, & ſinè damno animarum ſuarum illis vti non poſſunt. Tacemus quod multa Laicalibus manibus pragmatica concedit, quæ neque humana, neque Diuina Iura permittunt. Patere hoc dici Fili, neque inuitus audias veritatem, tui aliquando anteceſſores pragmaticam fermè ſimilem ordinauerunt, videntes id ſinè Sede Apoſtolica facere non poſſe abſtinuerunt. Sequere veſtigia maiorum tuorum, & dimitte hanc pragmaticam, quam Chriſtianiſſimi tui Anteceſſores ignorauerunt, & ſi quid eſt quod reformandum ſit in Eccleſiaſtico Regni tui ſtatu, conſule Apoſtolicam Sedem, quæ tuis honeſtis deſiderijs nunquam deerit, atque hoc modo filium te obedientem, & obſequioſiſſimum appellare veriſſimè poterimus, ſimulque tibi conſules & Regno. Dicis te nunquam preces porrexiſſe nobis, niſi honeſtas; mutantur tempora & neganda reddunt multis ex cauſis, & multa faciem honeſti habent, quæ diligentiùs inſpecta iniuſtitiam continent. Addis te ad iniuriam recepturum niſi quod poſtules impetres. Iniurius eris ipſe, ſi ſinè cauſa te paſſum iniurias dixeris, & præſertim ab

ea

ea Sede, quæ Mater eſt Iuſtitiæ & æquitatis. Poſtremò per amicitiam, per charitatem, per pacem quam erga Te ſeruare debemus, multopere rogitas, vt precibus tuis annuentes Tornacenſem Eccleſiam Conſtantienſi committamus, & Tullenſis Epiſcopi tranſlationem reuocemus. Non egemus tot adiurationibus, aut tot precibus, noſtrapte natura tibi morem gereremus, ſi res ipſa ferret (ſed audiuiſti quoniam res geſta eſt) iam Tullenſis tranſlatus eſt ex Conſilio vniuerſi Senatûs Apoſtolici, & ſuæ Eccleſiæ alter præfectus, quomodo fiet quod petis ſinè iniuria? Iam verò ventum eſt vt præſenti quæſitum ius ſit, id ſine Cauſæ cognitione auferri non debet, quod ſi (vt Oratores tui dixêre & literæ tuæ ſonant) præiudicium tibi factum putas, & hanc tranſlationem iurè æſtimas reuocandam, iudicium Tibi rectum æquumque offerimus. Cauſa hæc de maioribus eſt, & ad Sedem Romanam pertinet. Perſuade Tibi, & nullatenus dubites, ſi causâ cognitâ inueniremus ita eſſe vt arbitraris, facilè obtinebis ab hac Sede quod voles. Nihil enim magis optamus, quàm tuæ Serenitati per Iuſtitiam complacere. Hæc ad tuas literas, ad eaque Secretarius tuus expoſuit non cenſemus reſpondendum. Ea enim dixit, quæ de tua mente nullo modo eſſe putamus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarna-

nationis Dominicæ MCCCCLXI. VIII. Kal. Aprilis Pontificatûs noſtri anno III.

Audiſti cordate Lector, quæ Pius Pontifex tanto Regi prolixè, ac Paternè ſcripſit, quibus diligenter perpenſis, an Launoianis ſophiſmatibus validè reſponderim, ipſe tu iudices. multa me non animaduertiſſe, nullus dubito: ac multa quoque ſtudio credas me præterijſſe; cùm putarem hæc ſufficere poſſe ijs, qui veritatem, ac Religionem ſectantur; alijs verò, qui præiudicatis opinionibus obcæcati ſunt, nec volumen integrum, Demoſtheneàſque rationes ſatis eſſe poſſe. Finiam itaque, ac cum Horatio dicam:

Viue, Vale ſi quid nouiſti rectius iſtis,
Candidus, imperti: ſi non, his vtere mecum.

FINIS.

AD-

Digitized by Google

ADDENDA.

AD pag. 15. vbi agitur de tribus impreſſionibus, quæ vocem *Detractoribus* continent, videlicet vna Baſilæenſi de Anno 1551. ſecunda Norimbergenſi de Anno 1495. ac tertia Lugdunenſi de Anno 1518. Quartam adde quæ ad manus meas poſt præſentis operis impreſſionem deuenit, nempe Mediolanenſem ſupra memorato anno 1496. factam, in qua itidem eiuſdem Pij Epiſtolæ continentur iuxta genuinum ſenſum editæ. Scilicet cum eadem voce *Detractoribus*.

ERRATA CORRIGE.

PAg. 5. l. 13. lege MDLXXI. 18. l. 3. prædictæ pag. 28. l. 14. l. temporibus. l. 26. l. Oratores. 29. l. 16. l. Tornacenſis.

Digitized by Google

Digitized by Google